

Negotiatio definitio ex Syluestro.

tores certe non à vendendo, sed ab emendo tales dicuntur; mercari enim emere est; inde enim negotiatio dicitur mercatura, quia scilicet emitur ex fine lucrandi; unde negotiatio à Syluestro supra definitur; Commutatio ob lucrum, & quidem si actio quævis in negotiatione per se sumitur negotiatio non erit. Qui enim emit non dicitur negotiari, quia sola emptio non est negotiatio, & qui vendit similiter; quia vendere ex se negotiatio non est. Debent ergo actiones istæ coniungi, & vna cum spectu ad aliam considerari, quatenus emere ad lucrandum, & lucrari ex eo quod emptum est, & immutatum traditur, integrant negotiationem. Hinc est vt in Cap. Eiciens 2. dist. 88. vbi ex D. Chrystostomo negotiationis explicatio proponitur, licet de venditione facta fuerit mentio, quia communiter per illam exercetur, nullã tandem de ipsã factã mentione sic tandem definitur: Qui comparat rem, vt illam ipsam integram, & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei emittit. Sic ille: quamuis verum sit hominam illam, scilicet 38. in Matthæum non esse D. Chrystostomi; quia opus imperfectum in Matthæum non est Doctoris tanti, sed alterius non sanè in omnibus doctrinæ, vt obseruauit P. Maldonatus, qui permitti ait sicut alia antiquiorum, de quo alia. In hoc certe Doctores communitè sententiam illius capitis approbarunt, quod satis nobis ad præsentem positionem. Et in eodem cap. ex Cassiodoro in Psalm. 70. sic negotiatio definitur: Quid est aliud negotium, nisi quæ passim vitium comparari, carius velle distrahere? vbi negotiatio non est per venditionem explicata, sed per verbum amplioris significationis.

Ex Cap. Eiciens alia.

Non fieri extensionem legis pœnalis.

38 Neque tandem quidquam vrget, quod de pœnali lege dicebatur, non extendenda ad casum non expressum secundum verborum proprietatem; id enim damus; negamus tamen non expressum casum, de quo est disputatio, quandoquidem iuxta receptissimam intelligentiam venditio in definitione negotiationis apposta quamcumque commutationem lucratiuam comprehendit: nec in præsidium assertionis huius opus est ad doctrinam quamplurimum & grauissimorum scriptorum recurrere, asserentium legem pœnalem extendi ad casum non expressum, quando ratio est eadem, de quo dictum supra: quia non est omnino certa, licet valde probabilis. Id autem quod à nobis dictum non videtur posse negari, quod scilicet negotiatio non dicat necessario venditionem, licet per eam explicetur; sed exempli gratia posita sit vt frequentior, secundum necessariam intelligentiam ex auctoritate scriptorum eam vt certam approbantium, vt potè necessario applicandum cambio, in quo propria negotiatio est. Quando enim legis alicuius intelligentia talis est, vt non possit ad speciem, quam exprimit, arctari, quia constat alicui alteri, conuenire, non est opinio circa intelligentiam dictam, sed omnimoda certitudo. Quemadmodum ea non si quis suadente diabolo. Excommunicationem statuit in eum, qui manus violentas in Clericum iniecerit. Vbi tamen dici nequit arctandum illum ad id, quod exprimit, manuum scilicet iniectio-nem; quia communis intelligentia illum cum limitatione dictã non recipit, & constat eum, qui non manibus, sed pedibus Clericum percussit, ex-

Quando in illa verbo-rem nõ de-beat teneri stari, sed ampliori debent.

communicatione ligari, unde cum de manuum iniectioe tantum loquitur Canon; id exempli gratia posuit, quia frequentius est, debet ab omnibus affirmari: & tamen Canon dictus pœnalis est, & eximie quidem pœnalis: quia tamen fauorabilis statui Ecclesiastico, dictam ampliatio-nem accipit; & quia alias ferè redderetur inutilis, cum iniurijs janua aperta remaneret. Videatur Bonacina Tomo 2. Dissur. 1. Quasi. 1. Puncto 8. num. 23. & 24. communem doctrinam proponens, & exemplum accommodatum in lege imponente censuram contra furripientes centum aureos, quæ extenditur ad æquiualens: nam aurei, gratia exempli positi sunt, & certe si ad aureos tantum dirigeretur, ferè inutilis esset, cum aureorum lubreptio rara satis sit, & erga eos soleat contingere, qui non multum eã subreptione læduntur, vt lædi alij possunt, quibus aurei vix sunt de facie noti.

Congruum exemplum aliarum adieci.

39 Cum ergo hæc ita se habeant, & sententia negans licere contractum, ad eã sit robustis fundamentis stabilita, illi videtur penitus ad hærendum, vt merito dubitari possit, an opposita possit aliquatenus probabilis iudicari, & ita quidem censuræ nonnulli, sed nec scio an re penitus inspectã, & Auctoribus de hoc ex professo agentibus consultatis; nam & mihi probabilis visã est, vbi primum est controuersia proposita, pro quã & non nihil addidi, quod est visum consideratione dignum: modò autem non audeo talem pronuntiare: nam pro intrinsecã probabilitate nihil solidum occurrit. An autem ab extrinsecò illi concedenda sit, viderint alij; ego enim nulli detrahere inconsideratè pergã, quod auctoritatis doctrina & pietas conciliauit. Addam tamen casus aliquot, in quibus circa contractationem istam possint Ecclesiastici securã conscientia versari.

Resolutio difficultatis.

40 Primum; si quis emat Barras non animo lucrandi expresso, & directo, sed vt securius suas custodiat facultates; pecuniã siquidem facillè furripi possunt, non ita Barras; aut etiam ne ad mutationes frequentes compellatur, cum excusationem habeat obuiam, scilicet se non habere regales. Sic autem emptis illis; si occasio aliqua occurrat vendendi, & lucrandi in illis, id licitè facere poterit; exemplo eius, qui emit pro suo vsu aliqua, ex quibus si nonnulla supersint, potest illa cum lucro vendere, etiam si prauiderit id ita posse contingere, & spem sic faciendi habuerit. Quem casum vrget Cardinalis Lugo supra n. 32. in Procuratore Conuentus; quia finis principalis non fuit lucrum, sed prouisio, defectibus, qui contingere possunt, occurrent.

Prima circa illam limitationem, si non emanat animo lucrandi.

41 Secundò: potest quis Barras emere si in illis fiat ipsi solutio debiti, quam nequeat aliter obtinere nisi cum magno incommodo; tunc enim emptio interuenit, quia de pretio est conuentio, & pro illis datur id, quod erat debitum; & licet etiam sic contrahere, vt speret quis se illa aliquando cum lucro venditurum. Huius ratio est eadem, quæ casus præcedentis, scilicet tunc intentionem principalem ad lucrum non dirigit, sed ad recuperationem debiti. Quod intelligendum etiam si quis non emerit, nisi speraret lucrum dictum; quia adhuc tunc intentio principalis de illo non est; applicando etiam doctrinam Cardinalis Lugo, de quã nuper.

Secunda, cum in illis sit solutio.

Tertia, cum ex fine transuentionis, etiam cum spe lucri.

42 Tertiò. Idem licet si quis iter facturus ob commodiorem exportandi modum Barras emat, quia moneta in magnã quantitate cum incommodo transportatur: & hoc quidem cum spe lucri alicuius; & tunc erit certius, quando eodem modo emerentur illæ, etiam si lucrum nullum speraretur; per accidens enim se habet; non tamen obstat spes dicta lucri, ita vt si quis non speraret illud, non etiam emisset, quia tunc etiam intentum præcipuum non est lucrum sed comoditas transuentionis, vt spes illa sit quasi remouens prohibens, non autem finis emptionis, vt citatus Auctor loquitur. Quod etiam suadetur ex eo quod ex D. Thomã adduximus num. 34. scilicet eam commutationem esse lucro seruientem, & ad negotiationem pertinere, quã non emittitur aliquid ad necessitatem vitæ pertinens, sed ad fouendam cupiditatem, quæ terminum non habet. In casu autem nostro emptio non habet originem à cupiditate, sed à necessitate, vt scilicet vitetur incommodum transuentionis, & ita in eo negotiatio propria non exercetur, sed commutatio talis ad prius genus pertinet, de quo S. Doctor.

Negotiatio qualiter Ecclesiasticos dedecet.

Et permissa aliquando.

P. Bauny.

Quarta, ut necessaria comodus emantur, cum non tanta pro Religiosis doctrina.

43 Quartò. Poterit Prælatus Religionis, aut Procurator domus eius nomine Barras emere; si intelligat in Portubillo, aut Hispaniã plus valueras, vt ex iis venditis necessaria comparet, quæ in Indiis cariori pretio comparantur. Nam in hoc casu turpis lucri cupiditas non exhibet contractibus originem, sed ab æconomica prouidentia, iuxta D. Thomã doctrinam num. 34 adductam, proficitur; & aliã venditio alibi fit, vbi scandalum est nullum, & occasio cessat diuersionis à diuinis officijs; nec non per alios exercetur; quod licet, vbi scandalum non est, & diuersio dicta cessat, Doctores adducti tenent. Potest autem specialiter accidere, quando ad emenda Æthiopica mancipia ad prædiorum culturam necessaria, aliquis destinatur. Vbi etiam ille Religiosus sit, & per se vendat, videtur sine graui culpã stare posse, quia venditio talis respondet emptioni, quæ non directè ob lucrum; sed ob commoditatem comparandi necessaria celebrata est: vnde ad primam classsem commutationum reuocanda est, de quã D. Thomas, & non negotiator, sed prouidus dispensator talis est Prælatus appellandus. Quod & potest cuilibet alteri Ecclesiastico applicari.

Vltima, cum lucrum ex primaria intentione non queritur, vbi obseruanda quædam.

44 Tandem. Generaliter loquendo tum Barrarum contractatio licet Ecclesiasticis, quando lucrum ex primariã intentione non venit, sed secundariò, aut quasi remouens prohibens, nisi addit scandalum; vt inconueniens aliud oriatur. Quod quidem non solum in Barris, sed etiam in alijs rerum contractabilium generibus affirmamus, ob adductas rationes. Neque in Religiosis hoc semper damnum, quamuis videantur illi ad maius in hac parte exemplum teneri, quàm clerici sæculares: vt constat ex Cap. sed nec. Ne Clerici, vel Monachi. Nam eorum necessitates sunt multò maiores, quibus dum non consulitur à Prælatis, grauissimis inconuenientibus ianua aperitur: vnde non est credibile velle Pontifices, Canonum sacrorum Auctores, prædictos æconomix sollicitudinis modos illis prohibere, qui nihil studiosius curat, quàm vt Reli-

Theauri Indici Tom. I.

gionis status in regulari obseruantia conseruetur. Non quòd indegens aliquid admittendum sit, vt commodum inde Religiosa obseruantia procuretur; neque enim faciendæ sunt mala vt eueniant bona; quando scilicet indecentia talis est, vt posituam ex se repugnantiam habeat cum virtute; sed quòd id, quod ex se tale non est, licet ob status Ecclesiastici decorum per sacros Canones est prohibendum, ob illius aliquando maius bonum possit exerceri. Quòd autem indecentia pugnans absolute cum virtute non sit, ex eo præter alia ostenditur; quia in concilio Ellbertino facultas conceditur Clerico negociandi intra Prouinciã vbi degit, non tamen extra. Sic Canone 29. & hoc referens P. Bauny Tom. 3. Lib. 1. in Epitome Tract. 2. Cap. 6. vers. sed etiam ita subdit: eã tamen (facultate) si Chrystostomo, & Augustino credere animum induxerit; nunquam in Ordinis sui dedecus, statimque vitur. Sic ille, indicans vbi dedecus Ordinis, & status non est, vt in casibus dictis, non esse damnum vltim talis facultatis; sed de hoc aliã. Videantur dicta Titulo 5. Cap. 7. §. 2.

Circa pretium argenti cuius difficultas. Et quidam reprobatum contractum.

Vltima quomodo in anticipata solutione.

CAPVT V.

De Contractu Argenti vini.

45 Actum de illo Titulo 1. Cap. 12. & multa adiecta Titulo 5. Cap. 10. in cuius fine de contractu egimus, qui inter Minerarios, & Mercatores est frequentissimus, & an iustus attentã præsertim pretij improporione potest merito dubitari, & quod ad obligationem spectat non distrahendi metalli, sed Regi pro statuto pretio tradendi, iam vidimus quid possit verosimiliter affirmari. Quod autem nimia improporione in pretio seruetur, non videtur iuxta iustitiam posse leges tolerari. Et olim quidem maior erat improporione: cum enim quintale metalli huius quingentis argenti ponderibus æstimaretur, iuxta quòd pretium emebatur à Rege, anticipati emptores inde viginti detrahebant contra omnem rationem, & consuetudinem, scriptorumque doctrinam. Erat enim pretium tale infra infimum, quod omnes condemnant Classici Doctores eã ratione: quia hoc esset lucrari aliquid supra sortem ex vi mutui impliciti: qui enim solutionem anticipat, implicite mutat, & postea dum ei res empta pluris valens, tradetur; implicite fit ei restitutio cum vsurã: nam illud incrementum, quo res pluris valet, quàm pretium, datur ex vi pacti præcedentis propter anticipatam solutionem, id est, propter vsum pecuniæ tanti temporis. Qui est optimus discursus Patris Lessij Lib. 2. Cap. 21. num. 59. quod vrgeo: nam iste si pecuniã illam mutuam daret, cum pacto tamen soluendi lucri cessantis pro triginta, aut quinquaginta, immò pro centum, viginti augmentum non acciperet, ergo quemadmodum si triginta daret, non posset viginti amplius accipere, ita neque in contractu dicto, quandoquidem si non quinquaginta in pecuniã accipit, id tamen ei redditur, quod valet quinquaginta, vnde accipit sortem triginta, & viginti. Insuper pro anticipazione, quæ est nimis exorbitans vsura, & ita tunc homines doctissimi censuerunt.

Etiā au-
cto legali
pretio con-
tractus di-
ctus non
probandus
apparet.

Pro lucro
cessante
quando
obligatio.

Sed sunt
qui iusti-
ficandum
cessant.
Et prima
pro eo ra-
tio ex eo
quod est
contractus
vtilis Rei-
publicæ, &
tales non
debent fa-
cile repro-
bati.

Secundā
quia Mi-
nerarij ro-
gant, &
sunt mer-
ces vtro-
que.

Tertia ex
periculo
soluendi,
iuxta do-
ctrinam.

46 Succellu verò temporis pretium quinta-
lis adauctum, & contractus aliquantulum tem-
peratus, vt tertiã parte minus pretium anticipa-
tum sit, quàm legitimum, iuxta quod Regi tradi-
tur. Vt vidimus citato *Cap. 10. num. 83.* quod
licet minus de iniustitiã habeat, non videtur ta-
men eidem adæquari; quia rationes factæ pos-
sunt applicari similiter, eò quòd videatur infra in-
firmum, & quia ratione lucri cessantis habitã, nullo
modo potest excessus ille saluari. Si enim centum
non respondent iuxta stylum forensem vigin-
ti pro cessante lucro, sed multò minùs: quomo-
do stare queat, vt sexaginta respondeat lucrum
viginti? Attentã ergo præcisè ratione contractus
non videtur id posse saluari. Quibus addi potest
communis Doctorum sententia circa lucrum
cessans, neminem scilicet ad illius compensatio-
nem obligari, nisi fuerit in pactum expressè de-
ductum. Pro quo videri potest *P. Rebellus Parte
2. Lib. 8. Quest. 7. P. Lessius Lib. 2. Capit. 20. Du-
bit. 11.* & alij. Cum ergo de lucri cessatione nihil
in contractu isto dicatur, non debet pretium mi-
nui ratione illius. Præterquam quòd de contra-
ctu tali loquimur secundum ea, quæ illi iuxta pro-
priam rationem conueniunt, non verò ex acci-
denti: & vt demus imminutionem pretij dictam
ratione accidentium iustificari: illa non adeò
magna videri possunt, vt tantam possint inæqua-
litatem excusare.

47 Sed his non obstantibus sunt plures qui
contendant non deberi contractum istum con-
demnari; his omnibus attentis, quæ in illo inter-
ueniunt, & sunt, Primò, sic esse communiter re-
ceptum, & ab ipsis, qui eum exercent, aliisque
vsurarium non censeri. Contractus autem tales
præsertim si vtilis Reipublicæ sint, condemnandi
non sunt, vt admonent Doctores, & in simili ha-
bet *P. Lessius Lib. 2. Cap. 23. num. 57.* vbi de certo
Cambiorum genere loquens, ait illa damnanda
non esse, licet vsuraria videantur, eò quòd solum
ratione longioris temporis maius pretium postu-
latur; cum omnes passim illis vantur: inter quos
multi viri probi, & conscientiæ religiofæ qui si
iuberentur abstinere, soli laxioris conscientiæ il-
lis vterentur; quo fieret vt pretia Cambiorum
istorum crescerent, & cum magno Reipublicæ in-
commodo valde intenderentur: neque enim vni-
quam obtineri poterit; vt Mercatores non pluri-
sæstiment concessionem longi temporis, quàm
breuis. Sic ille loquitur, casu præsentis accom-
modatissimè, cuius sententiã modum alij probant.

48 Secundò: quia Minerarij Mercatores
rogant, eò quòd si pecunia illis anticipata deficiat,
non poterunt in labore suo progredi. Quando
autem vltroque merces sunt, & rogantur empto-
res, vilescunt merces pro tertiã parte, vt superius
dictum, immo & pro medietate: pro quo Aucto-
res adducit *Diana Parte 1. Traet. 8. Resolut. 53.*

49 Tertio: quia Mercatores se exponunt
periculo amittendi pretium, eo quòd Minerarij
rarò stent promissis. Quando autem periculum
tale est, potest aliquid de pretio detrahi, vt est
communis opinio, de qua dictum *suprà num. 12.*
& pro quã Auctores congerit *Diana nuper ad-
ductus Resolut. 57.* quantum autem debeat tale
periculum æstimari, ex circumstantiis pender, vt
meritò hoc locum habeat, quod *P. Lessius n. 47.*

adductus in sine dubitationis asseruit, sic locutus:
verum utrum lucrum sit moderatum, an non excedens,
non est Doctorum determinare, sed proborum virorum
in arte illa peritorum. Hoc tantum affirmo, hunc con-
tractum ex forma sua iniuriam non esse. Sic ille.

50 Quartò. Quia in contractu, in quo ali-
qua ex præfatis occurrunt, contingit maius lu-
crum, vt in eo, de quo *P. Lessius num. 58.* in quo
Mercatores 36. in centum intra vnum annum lu-
crantur: quem citatus Auctor probat, vt nuper
ex eo posuimus. Rarò autem continget ad eam
summam conscendere, vt experientia constat;
pro quo ea quæ diximus in sine citati *Capit. 10.*
consulenda: praxis enim illa satis ostendit quàm
sit iste contractus dubiæ fidei, vt numquam to-
tum id Mercatori reddatur, de quo præcessit pa-
ctum. Dantur ergo quatuor cum debeantur de-
cem, & aliquando plura; & quandoque vix ali-
quid Mercator assequitur, & suo quidem merito.
Quis enim non tenuat, si modicum illi prudentiã
succurrat, talibus se fallacis implicari.

51 Iuxta hæc ergo probabilitas dicti con-
tractus apparet, contra quam non vrgent addu-
cta: iam enim vidimus pretium ex circumstantiis
explicatis iustum videri, & licet lucrum cessans
non sit æquale, si vtrumque simpliciter confere-
tur: bene tamen qualitatibus eorum attentis.
Nam lucrum decem moraliter certum tanti æsti-
matur, quanti lucrum incertum viginti, & fortè
etiam ampliùs; quando præsertim experientia
talem incertitudinem comprobauit; & insuper
circumstantiæ concurrunt aliæ, vt in contractu
lucrum excrefcere possit pretij imminutione; quia
rogatur emptor, & alia, quæ diximus. Quod au-
tem de lucro cessante, non deducto in pactum, di-
cebatur, verum est, vt non debeat in particulari
solui, quando solutio sine culpa differtur, aut pec-
cuniam mutuans nihil de illo meminit. Quando
autem illo inspecto pretium taxatur, & venditor
plane consensit; alia est ratio; in ipsa enim pre-
tij taxatione respectus ad lucrum cessans habe-
tur. Quamuis dici etiam possit in hoc contractu
non attendi ad lucrum cessans, sed ad alia; ex
quibus pretium cum prædicta tertiã partis detra-
ctione taxatur. Licet generaliter loquendo do-
ctrina illa de improportione pretij per compa-
rationem ad lucrum optima sit, ad intelligendum
scilicet excessum iuxta modum explicatum: quod
valde diuersum est à respectu lucri, quod Mercator
talis reipsa erit habiturus. Licet enim quis Mer-
cator non sit, nec de lucri cogitet; si pecuniam
eodem modo tribuat, simili modo poterit con-
trahere, eodem inquam pretio, quia & rogatus
emit, & periculo se exponit; quod & in aliis con-
tractibus accidit, eodem enim pretio emere pos-
sunt, qui Mercatores non sunt, licet in ordine ad
venditionem priuilegium aliquod Mercatoribus
plures Doctores attribuant, vt carius scilicet emere
ratione officij possint.

Circa venditionem aliis factam; præter
Regem, disquisitio.

52 Quando Mercatoribus venditur, qui
Regi vendunt modo dicto *Titulo 5.
num. 84.*

P. Lessius.
*non est Doctorum determinare, sed proborum virorum
in arte illa peritorum.*
*Quarta ob
maius lu-
crum. Quod
non admit-
tunt.*

*Probabili-
tatis con-
tractus di-
cti obiecta
non obsta-
re.*

*Lucrum
cessans
quomodo
debeat in
pactum
deduci.*

*Notanda
doctrina.*

*Occultè
venientes
& Cætes*

grauiter
peccare
probat.

Leges po-
nales quæ
do grauius
obligent.

Oppositum
quæ vitia-
tur verosi-
militè osten-
dere.

num. 84. licitum esse contractum, eò quòd ex
parte Regis pactio non impletur, verosimile fa-
tist est ex dictis *ibidem num. 81.* Difficultas tamen
est: quando occultè vendunt alijs, nam cum illis
venditur, in Regias tandem apothecas infertur,
vnde Rex nullum paritur detrimentum, neque
bonum publicum, ad quod legibus istis attendi-
tur. Cum autem occultè distrahitur, aliter eue-
nit, priuatur enim Rex emolumentis magnis: ex
argenteo enim, quod beneficio hydrargyri colli-
gitur, jura Regia non soluuntur, & præcipuè
quinta pars; sicut neque ex hydrargyro ipso,
ex quo quintum deberi constat ex dictis *Titulo
citato num. 80.* & quidem contractum inter Re-
gem, & Minerarios intercedere, cui stari vtrim-
que debeat, dictum *citatis locis.* Vt autem Mer-
catores ab eo onere sint exempti, dum ex parte
Regis non adimpletur exactè promissio, non
sunt laxanda penitus habena, sed quantum satis
est, vt illi satisfacere suo officio possint, sine Re-
gis & boni publici detrimento. Atqui ad hoc
sufficit venditio Regi facta, sic enim pretium le-
gitimum accipiunt: ergo transgressio contra-
ctus non debet ad distractionem quamlibet, cum
detrimenti dictis propagari, quibus accedit,
occultis istis emptoribus grauissimas esse penas
impositas, & ita videntur grauiter peccare, non
solum illi, sed in peccato participes, quibus pena
item imponuntur amissionis bonorum, &
mortis. Quando autem pena tales sunt, pecca-
re grauiter transgressores communiter tenent
scriptores. Hinc afferunt Cardinalis Lugo *Disp.
31. num. 6. P. Molina Disp. 521. vers. Quod asserit.
P. Fragolus Tomo 1. pag. 247. num. 295.* & alij.
peccatum lethale esse mentas ludi exponere, ar-
tentã acerbitate penarum, si illæ non vsu sint
receptæ. In casu autem nostro, licet quoad mor-
tem numquam sint executioni mandata, quoad
confiscationem autem bonorum, quæ apud
reos inueniuntur, quando metallum apprehendi-
tur, obseruari solent: vnde non videntur à reatu
culpæ lethalis excusandi.

53 Nihilominus sunt qui excusent, viam ad
id verosimilem conquirentes, ne tot homines re-
medio destitutos relinquant, quos difficillimum
fuerit ab eo contractandi genere, quo sibi, & fa-
miliæ de necessariis consulunt, reuocare: & fun-
damentum exculationis est iam insinuatum, Re-
gem scilicet pactio non stare, etsi illi hoc mo-
do ea, quæ ad officium illud necessaria sunt, non
querant, minime in eo processuros: neque sat
est Mercatoribus vendere modo explicato: vt me-
tallum in Regias inferatur apothecas, quia illi non
adeò copiose emunt, vt pro necessariis sufficiant,
nundinationibus alijs intenti. Sunt etiam qui
maius pretium offerant, & non per menstruas
exhibitiones, sed vnica, eaque numerosa. Licet
autem magna sit penarum acerbitas, rarò tamen
ad earundem excusatione deuenitur. Et ita quod
de penis exponentium mentas ludo dictum est,
eas scilicet non obligare sub mortali, quia non
sunt vsu receptæ, præsentem etiam casum venit appli-
candum. Verum quidem est aliquando circa ali-
quem minus cautum seuerius agi, ne leges istæ
penitus videantur abrogata; sed id rarò accidit,
& ita non videtur sufficiens iudicium obligationis
sub mortali. Pena quidem mortis, tritemium,

perpetui carceris, aut confiscationis bonorum
omnium, numquam imponenda, quæ ad terro-
rem tantum videtur ordinata. Amissio autem
metalli ipsius, & aliorum bonorum, quæ simul
exportentur, non adeò grauis est, vt propter in-
figne lucrum, ex contractu tali non possit aliquis
se periculo incurfionis exponere. Sic enim peri-
culosa nauigationes, militia, & artes aliæ cum pe-
riculo, non quidem omnino certo, sed aliquali, eò
quòd non semper, aut ferè semper, sed aliquando
fatale aliquid accidat, exercentur: non ergo con-
tra charitatem propriam est, quæ se quisque dili-
gere debet, præfatis se periculo exponere; seclusã
obligatione legis: quæ alias non videtur esse sub
mortali, quandoquidem vsus illius benignitatem
declarauit.

54 Quod autem de Regis detrimento dice-
batur, eius est ministris imputandum, dum con-
tractui non statuer. Commune autem bonum
non videtur ex eo præiudicium pati, cum potius
videatur augeri: cum metalli distractio pro ar-
genteo colligendo fit in diuersis mineralibus, cu-
ius prouentus, vnã aut aliã viã in Regis, ac regni
opulentiam cedunt, vnde Rex non debet penitus
inuitus, sicut nec læsus, æstimari. Ad eum mo-
dum, quo de diuinã voluntate loquitur *D. Thom.
1. part. quest. 19. art. 6. in corpore,* quæ sem-
per impletur, etiam cum mala sibi displicentia
fiunt; ita enim loquitur: *Quod recedere violetur à
diuina voluntate secundum vnum ordinem, relabitur
in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui quantum
est in se, recedit à diuina voluntate peccando, incidit in
ordinem diuine voluntatis, dum per eius iustitiam pu-
nitur.* Sic ille: licet autem transgressor legis dicat
non relabatur in Regiam voluntatem per iusti-
tiam, relabitur tamen, dum illi militat, regni o-
pulentiam promouendo. Potest ergo sententia
ista vt probabilis sustineri, dum res istæ aliter non
disponuntur.

Circa pretium difficultas.

55 Et illud lege præscriptum, & cum indi-
uisibile sit, non videtur posse variari
iuxta communem sententiam. Nihilominus res
aliter se habet; licet enim Regi iuxta pretium
constitutum vendant, alijs tamen vt possunt Me-
tallarij tradunt ordinario pretij incremento. In
quo quidem non maior videtur esse difficultas,
quàm in Barris argenteis, de quibus dictum *num.
27.* Rex autem pretium determinans pro se tan-
tum legem statuit, magnã adhibita moderatione:
vnde nihil de pretio vulgari curauit, prohibita
contractatione: non enim ad eum spectat pre-
tia rebus prohibitis assignare. Illa ergo secun-
dum communem æstimationem statuenda sunt,
sicut & de argenteis pinnis dictum *n. 11.*

56 Dixi Metallarios vendere vt possunt,
quod intra latitudinem iusti pretij intelligendum,
iuxta communem sententiam. Quamquam in
hoc non sit illis peculiaris scrupulus iniiciendus:
difficile enim explicari potest quantitas valoris,
vnde vnicique bonã fide agenti relinquitur: pretij.
neque obstat dictis, quod habet *P. Lessius Lib. 2.
Cap. 2. num. 14.* scilicet si pretium legitimum sit
minus, vulgare maius, non esse licitum exigere
vulgare, sed solum legitimum: quia hoc cenlen-

*Pena gra-
uis nõ sem-
per iudicium
obligatio-
nis.*

*Ex Regis
detrimento
nihil eui-
ci.*

*Diuina
prouidètia
exemplo.*

D. Thom.

*Metalla-
rios vende-
re posse vt
volens, sed
intra lati-
tudinem iusti*